



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

Dedicatio S. Mariæ Ad Nives. 5. Augusti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

Pœnitentiã age. Si quis velit tibi suadere 'ut operibus pœnitentiæ relictis oblectamentis indulgeas, dic: *Ista felicibus: ego deliqui in Dominum, & periculis in æternum perire.* Pacianus.

## DEDICATIO S. MARIAE AD NIVES.

5. Augusti.

*His qui vendebant columbas, dixit, auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Joh. 2.*

**A**Nnus agebatur Christianus supra CCC LXV. quando Romæ civis fuit patricii sanguinis & huic JOANNES vocabulum. MARIAM puto exspectas Mariane, cum IOANNEM audis? Rem loqueris. Fuit huic conjux digna conjuge suo, fuere opes ingentes, sed spes natorum nulla, & in his etiam nepotum decollaverat. Tandem, quid ô! quid terris, ait JOANNES, ignobiles & mecum morituros hæredes quæro? quin cœlo adscisco? & an explere dignioribus nominibus ceras possum? Certè opibus unica MARIA digna omnibus est. Imò IOANNES non sum, si hæredem MARIAM non scribo. Eja igitur Virgo, tu sola

F 4

jam

jam tabulas imple. Filio si careo, certe tu non cares, qui cum animum æternum oblectem. Audiit IOANNEM MARIA, & assemmnem in Montem Exquilinum conferre iussit templo exædificando eo in loco quem postero manè nivibus insignem esset factura. Et erat tunc æstus longè maximus, & facilius utique grandinem quàm nives daturus. Adit tamen IOANNES locum, & reperit undique niveo vellere vestitum. Sed & Liberius Pontifex Max. in somno à Virgine monitus accedit & fundamenta templi jacit, quod per omnem orbem gerit. Miraris Sodalis Miraculum laudas templum? At tu castas ostende sis mihi in animis nives plures; plura ego Virginita templa monstrabo. *Ex Brev.*

### MEDITATIO.

#### *Quomodo Deus in templis sit honorandus.*

I: **A**di sacras ædes, quàm poteris, sapissimè sunt domus DEI, ubi præsertim vult honorari. Ibi gratias dabit DEUS, quas negabit alibi. Hic quaere consilium, solatium à DOMINO. In afflictionibus, in necessitatibus templum sit refugium tuum. Huc si concesseris vivâ fide & humilitate non fictâ nihil non impetrabis. Sed prò dolor! nos Ecclesis ludicra anteponimus nos altaria spernimus & theatra honoramus. *Salvian.*

2. Noli

2. Noli facere domum DEI domum negotiationis: is autem in templo negotiatur, cujus animus cum orare deberet negotiis sæcularibus immergitur. Sathanas item in templo negotiatur, cum mentem hominum ad res vel turpes, vel certè hujus loci alienas allicit. in templum venisti Deum oraturus: Ora attentè & humiliter.

3. Attamen quælibet negotiatio in templo non prohibetur: ibi quippe licet terrenis bonis emere æterna, & cor suum Deo dare, ut cœlestibus flammis ardeat. Effunde lacrymas, & gratias profundet Spiritus sanctus. Pete veniam à Domino & veniam dabit. *Quoties in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum sanctum non dubito aspirantem, cum intueor flentem, sentio ignoscentem.* Cypr.

## S. JUSTUS & PASTOR MARTYRES.

6. Augusti.

*Sinite parvulos & nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum cœlorum.*

**J**USTUM & PASTOREM Germanos Fratres duo sidera, Castorem & Pollucem dicerem, nisi feliciori sorte unà uterque è cœlo adolescentiæ præluceret, involverat velut turbo omnem Hispaniam furor Daciani, &

F 5

Com-